

do cognitum, ut inanimata, quæ cognitione carent. Hæc est ratio D. Thomæ.

XXVI. Secundum quod advertimus, est circa hanc rationem propositam, id quod advertit Cajetanus super hunc articulum secundum: Quid sit apprehendere finem; et quid apprehendere rationem finis? Cui Cajetanus respondet, et bene, quod cognoscere rationem finis, non est cognoscere quidditatem finis; sed cognoscere habitudinem, et proportionem finis, ad id quod est ad finem: quamdiu enim non cognoscitur ista proportio, non movetur aliquis a fine; quia non penditur ejus convenientia et sine convenientia non movetur. Convenientia autem, necessario est inter aliqua extrema, et sic, qui cognoscit convenientiam finis, secundum proportionem talis convenientiæ ad extrema, dicitur cognoscere rationem finis. Et bene stat, quod cognoscatur finis, et bonitas ejus, etiam in quantum bona, et conveniens est ipsi appetenti, in se absolute, et entitative, nec tamen cognoscatur ratio ejus: quia aliud est cognoscere bonitatem, seu convenientiam rei, aliud rationem bonitatis hujus, et convenientiæ. Ad cognoscendam bonitatem, et convenientiam rei, sufficit apprehensio ipsa absoluta rei, quantum ad id, quod in re proportionatur sibi, vel secundum quod in effectu sentitur, ipsa proportio, et convenientia. Unde dicit D. Thomas 1 part. quæst. LXXX, artic. 1 ad secundum, quod objectum appetitur, ut conveniens, et bonum, et appetibilitas ipsa, seu convenientia, ad appetitum est ratio boni, ut circa quæstionem quintam primæ partis dictum est: Et imaginatio per species insensatas cognoscit convenientiam rei, ut avis cognoscit in palea, non solum colorem; sed etiam convenientiam, ad fabri-

candum nidum, et ovis cognoscit in lupo, non solum colorem, et figuram, sed etiam inimicitiam, et inconvenientiam ad se. Ad cognoscendum vero rationem ipsius bonitatis, et convenientiæ, necesse est cognoscere istam convenientiam comparative, et secundum habitudinem ad extrema, inter quæ exercetur, et cui proportionatur convenientia hæc: talis enim habitudo, et respectus, est ratio, id est, formalitas ipsa convenientiæ finis, qua movet, et determinat. Unde, qui non cognoscit hunc respectum et habitudinem, non potest movere ad modum finis. Non est autem necesse, cognoscere quidditatem hujus respectus, et essentiam, ut dicatur quis cognoscere rationem finis: quia hic, ratio, non sumitur pro essentia, ita ut necesse sit, cognoscere quidditatem finis, ut aliquis moveatur a fine, cum multi rustici, ignorantes quidditatem illam, a fine moveantur, et rationem finis apprehendant. Sumitur ergo ratio finis, pro ipsa respectiva, et comparatione proportionis, et convenientiæ finis, erga ea, quæ sunt ad finem, hanc enim est ratio, id est, formalitas, qua finis apprehensus movet, id est, determinat ea, quæ sunt ad finem.

XXVII. Cujus ratio est, quia finis, et bonitas ejus, atque convenientia, ut moveat, sufficit, quod apprehendatur, et proponatur appetitui, impossibile enim est, quin visis tangeremur. Et sic, ut aliquis agatur, seu moveatur a fine, sufficit tangi ab ipsa re, seu a bonitate, convenientiæque ejus, ut habetur in ipsa re, et sic bruta feruntur a fine apprehenso, ab ejusque convenientia, ut materialiter habetur in ipsa re; quod est sumere convenientiam bonitatis, in se absolute, et entitative, seu materialiter. Ut autem aliquis, non solum agatur, seu trahatur a fine, et bono; sed se agat, et mo-

veat in finem, et bonum; oportet, quod de ipsa convenientia apprehensa, judicare possit per aliqua principia, quæ sint ratio talis bonitatis, et convenientiæ ejus; cognoscendo enim talem rationem, seu principium, non solum movetur ab ipsa convenientia; sed etiam movet ad ipsam convenientiam sequendam, quia cognoscit rationem, seu potest reddere rationem talis convenientiæ: ratio quippe, seu cognitio, movet se de uno ad aliud, quatenus per unum, redditur ratio alterius. Non potest autem reddi ratio convenientiæ, nisi comparando, et conferendo ipsam cum extremis, quibus convenire potest, inde enim resultat, et subsistit tota ratio, quæ reddi potest de convenientia, ut placeat, et moveat, et hoc est principium quo movet. Ex apprehensione ergo talis rationis, et comparationis habet quis, non solum trahi a fine, sed se ducere, et movere in finem. Extrema autem convenientiæ finis, sunt, tum ipsum subjectum, quod finem appetit; tum media quibus ad finem tenditur: quia cum utrisque proportionem debet habere convenientiam finis, ut subjectum alligat, et ad media determinet.

XXVIII. Ex quibus redditur perspicua ratio D. Thomæ, et utraque ejus consequentia supra relata. Nam prima nullam habet dubitationem, cum ex intentione finis incipiat omnis determinatio, et motio agentis, ut certum aliquid agat. Ab agente vero fit forma, et per formam tollitur potentialitas materiæ. Secunda vero consequentia, ex dictis manifesta redditur, cum perspicuus sit ille duplex modus operandi propter finem, scilicet, ut motum a fine, et se movendo in finem; et quomodo hic secundus, solum cognoscenti rationem finis, conferentique ejus convenientiam ad media, et ad subjectum, competere possit. Quod totum,

latius articulo præcedenti tractatum est.

XXIX. Quod vero aliqui super hunc articulum disputant, an omnia operentur propter finem, et an bruta se moveant ad finem, non eget peculiari disputatione, loquendo de creaturis. Nam quod omnia propter finem agant, sive ut mota ab alio, sive ut moventia se, non patitur difficultatem, cum omne agens hoc ipso, quod aliquid certum agat, propter finem agat, saltem ab alio præstitutum. Et quæ fortuita, et casualia sunt; licet respectu causarum proximarum, respectu quarum casualia sunt, finem non habeant sibi præstitutum, tamen quia respectu providentiæ Dei, nihil est fortuitum, sed omnia ei subduntur, (ut prima parte quæstionis xxii tractatum est) oportet, quod omnia ex fine agant, præstituta a Deo: quia providentia Dei, ex intentione finis agit, alias non prudenter, neque providenter ageret. Unde in hoc sensu disputare, an omnia operentur propter finem, saltem a Deo præstitutum, est quæstionem disputare de providentiæ Dei: an omnia illi subdantur, quod alterius loci est.

DEUS NON AGITUR A FINE, SED AGIT PROPTER FINEM.

XXX. De ipso autem Deo dubitant multi, an dicatur in proprietate agere propter finem. Et non est dubium de operibus divinis ad extra, sed de operationibus ejus ad intra. Nam de rebus operatis ad extra, constat, quod sicut dependent, et causantur a Deo efficienter, ita et finaliter: agit enim illa per providentiam, et ex intentione non a casu et fortuito, ergo propter finem. Qui finis, est ipse Deus, Proverb. xvi: *Universa propter semetipsum*

*operatus est Dominus: ad Heb. II: Decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, etc. Apocalyp. ultimo: Ego sum  $\alpha$  et  $\omega$ ; primus, et novissimus; principium et finis.*

XXXI. De ipsa vero operatione divina, est difficultas, tam de operatione immanenti, et ad intra, quæ in omnium sententia, est intra Deum, et est ipse Deus, quam de operatione productiva ad extra, quæ in aliquorum sententia, in ipso Deo est, et non in creatura, nam in creatura, solum est relatio dependentiæ a Deo. In his ergo operationibus, dicendum est, quod ipsæ actiones, nullo modo sunt propter finem, ly propter importante causalitatem finalem in ipsas actiones, sive considerentur, ut necessariæ, et terminatæ ad Deum sive ut libere terminatæ ad creaturas. Itaque Deus dicitur agere propter finem, ratione termini causati per actionem, quem Deus ordinat, et subordinat fini, non ratione actionis in se, quæ nullo modo subordinatur fini. Et sic non eodem modo dicitur creatura agere propter finem seu gratia finis, et creator. Creatura enim, tam in actione, quam in effectu subordinatur fini, ut præstantiori, et causanti: quia etiam actio in creatura, dependens est, et causabilis. Creator vero subordinat effectum suum fini, non vero actionem suam, quæ tam incausabilis est, sicut ipse creator, et tantæ præstantiæ, sicut ipse finis, et tantæ determinationis, et actualitatis, sicut quælibet causa finalis. Et hæc sententia D. Thomæ prima parte quæst. XIX, artic. V, ubi docet: « Quod in Deo velle finem, non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem; sed tamen vultea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc. » Ergo sentit D. Thomas quod finis in Deo, non est causa volitionis, seu

actionis, quæ intra Deum est; sed solum rei operatæ ad extra, volens ut hoc sit propter illud, sed non propter hoc volens illud. Clarius in III, dist. I, quæst. II, articulo I ad quartum, cum posuisset argumentum: Quod actio Dei est finis, cum sit ejus substantia: sed ultimi finis non datur alius finis: ergo Deus non agit propter finem, respondet s. doctor ad quartum dicendum: « Quod actio divina est essentia ejus, et ex hac parte non quæritur finis ejus, sed ex parte illa, qua effectum creaturæ communicat: » ergo sentit D. Thomas quod Deus non agit propter finem, ita quod ly propter importet causalitatem in actionem, sed in effectum, ex parte creaturæ. Et advertendum est, quod in aliquibus exemplaribus, deest ista responsio, cum extet argumentum. In Romana tamen editione operum D. Thomæ, invenitur.

XXXII. Unde sumitur ratio conclusionis, ex jam insinuatis, quia actio, quæ est propter finem, tamquam propter causam, et ejus gratia, causatur a fine, dependet a fine, determinatur a fine, respicit finem, ut quid præstantius. Actio autem divina, sive libera, sive necessaria sit, si, est intra Deum, est increata: ergo incausata ab aliqua causa: est summum esse, ergo independens: est summa actualitas, sine ulla potentialitate, ergo non est determinabilis ab aliquo: est summa perfectio, ergo non respicit aliquid, ut præstantius: ergo neque, ut finem, a quo finalizetur. Quod totum non currit in effectu actionis, quia hic est causatus, dependens, determinabilis, inferior ad Deum, qui est finis præstantior.

XXXIII. Quod si instetur: Quia agere propter finem, proprie, et in rigore, est actionem agentis esse, et derivari ex directione finis: ergo insufficienter salvatur, Deum agere

propter finem, si solum effectus est propter finem, non ipsa actio, respondetur quod in toto rigore, agere propter finem, non postulat directionem passivam, in ipsa actione erga finem, quia hoc importat subordinationem actionis ad finem, sed sufficit, quod agere propter finem, importet directionem activam in finem, atque adeo effectus ipse erit directus, non actio. Quapropter, quando actio agens finem, distinguitur a fine, utique postulat passivam directionem, et subordinationem sui erga finem: quando vero actio, est ipsa substantia finis, solum effectus ejus est subordinatus fini, non ipsa actio. Quæ solutio licet aliquibus videatur, non plene evacuare difficultatem, mihi videtur nullam relinquere, quia non debet eodem modo, creata actio, et increata, esse dependens a fine.

BRUTA NON SE MOVENT IN FINEM.

XXXIV. Quod attinet ad bruta, quomodo non se moveant propter finem, sed solum rationalia, explicatur sufficienter ex dictis articuli præcedentis ubi tractavimus, quid sit agere propter finem: et nuper agendo de apprehensione finis, et ratione finis. Moventur quidem bruta in finem, et in bonum, seu convenientiam ejus apprehensam, ex parte rei cognitæ, seu ex parte rationis quæ; et ista eadem bonitas, et convenientia, movet secundum aliquam rationem sub qua, scilicet, sub appetibilitate, tenente se ex parte ipsius boni moventis. Nec enim potest intelligi, objectum aliquod movere potentiam, sine aliqua ratione formali ultima movendi, et illa est ratio formalis sub qua, ex parte objecti, quia sub ea, tamquam sub ultima determinatione reliqua

materialia objecta, et rationes continentur: sicut si color movet visum, debet esse sub ultima ratione visibilitatis, quæ est lux. Sic ergo moventur bruta sub ratione appetibilitatis bonæ. Sed tamen quantumcumque moveantur sub illa ratione non perveniunt ad hoc, ut se moveant erga talem bonum, quia non habent, in se principium, quo determinent se erga tale bonum, et media ad illud ordinent. Movere autem se ad finem, non est solum vitaliter operari, et elicito actu appetere talem finem, sic enim etiam bruta se movent ad finem, hoc est, vitali actu illum appetunt, et in ratione vitalitatis appetendo, se movent quia omnis vitalis actus a principio intrinseco vitæ procedit: sed movere se ad finem, non est solum vitaliter operari, et elicito actu se movere, in genere vitalis elicentiæ; sed est determinare se erga finem, et præstitueri sibi finem, ita quod non solum se moveant efficienter, et elicitive, seu in genere causæ efficientis; sed etiam finaliter, determinando se ad finem, et non supponendo se determinatum a natura, vel ex instinctu auctoris naturæ, mediante objecto. Quanto enim aliquid magis supponitur determinatum, minus se movet; et ad id se movet, ad quod non supponitur determinatum a natura, et sic juxta diversos modos supponendi determinationem, vel acquirendi illam, distinguuntur varii gradus vitæ, ut docet S. Thomas I part. quæst. XVIII, artic. III, sicut plantæ habent a natura determinatum finem, et formam seu principium operandi; acquirunt vero executionem motus, et ad illum se movent in augmentatione sua: animalia vero, seu naturæ sensitivæ, non solum acquirunt executionem sui motus, et ad illum se determinant, sed etiam acquirunt formas, quæ sunt

principium motus, quales sunt species objectorum; et ideo habent gradum vitæ altiolem, id est, cognoscitivum, et sensitivum. Intellectiva autem, non solum acquirunt, et se determinant ad executionem motus, et ad acquisitionem objectorum per species, sive impressas, sive expressas; sed etiam ad acquisitionem finis: quia non supponunt determinationem finis a natura, sed sibi finem præstituunt, et ad illum se determinant; quod quidem, ut ibi dicit S. Thomas non fit, nisi per rationem, et intellectum, cujus est cognoscere proportionem finis, et ejus quod est ad finem, et unum ad aliud ordinare.

XXXV. Ratio autem, cur ista determinatio, et motio sui ad finem, solum possit fieri per rationem, et intellectum, ea est, quam insinuat S. Thomas et diximus supra: quia id quod se movet ad finem, illumque sibi præstituit, et ad illum se determinat, supponi debet, quod ex se, vel a natura, non sit determinatum ad finem, sed indifferens, et sic determinari debet indifferentia ejus. Unde uti debet principio determinativo hujus indifferentiæ, et indeterminationis. Principium autem, est iudicium, non coarctatum, et alligatum solum ad unum, sed adæquans ipsam indifferentiam appetitus, ut eam possit vincere; quia si iudicium esset coarctatum, et alligatum, appetitus non esset indifferens, si quidem indifferentia ejus sequitur ad cognitionem ipsam: unde oportet, quod regulativum talis appetitus, sit etiam indifferens, et consequenter arbitrium, et non ex instinctu, et sic erit collativum. Et rursus oportet, quod si est indifferens, habeat voluntas potestatem super tale iudicium, et vis cognoscitiva habeat vim iudicandi de tali iudicio, quia indifferens est, et vertibile; hoc autem pe-

tit vim immaterialem, seu spiritualem, et consequenter non brutalem, quia est reflexiva supra se. Ac denique principium, quo aliquis potest sibi determinare finem, et media, cum determinatus non sit, solum potest esse cognitio, et manifestatio ipsa bonitatis, et convenientiæ, comparativa, et respectiva, qua videtur unum præ alio, et consideratur proportio unius cum alio, tam cum ipso appetente, quam cum mediis, ad illum finem ordinatis, ex tali enim comparatione, et collatione, pendet, quod hoc determinate acceptetur, quando voluntas determinata non est, ut videmus ipsa experientia: quia tamdiu homo est suspensus et indeterminatus, quamdiu non cognoscit, et comparat istas convenientias, facta autem collatione, seu consilio, determinatur. Et deinde, quia si aliquis determinatur, non per istam collationem, et comparationem, sed sola absoluta propositione bonitatis objecti, quælibet bonitas proposita moveret, sicut movetur materia a quælibet forma: ergo non præstitueret sibi finem, neque se determinaret ad illum, si quidem supponeretur appetitus, talis esse naturæ, quod immediate ab absoluta bonitate objecti moveretur: ergo posito objecto, sequeretur appetitus, non autem ipse cognoscens se determinaret, et præstitueret finem. Ad præstituendum ergo, requiritur intellectus, et ratio.

XXXVI. Unde etiam colligitur, a quo bono moveantur bruta an solum a delectabili, an etiam ab utili: nam ab honesto, constat non moveri, quia honestum est, quod regulatur per rationem, respondetur enim, quod ab utroque moventur, non comparativo, et collativo modo, cognitio, sed absoluto. Principaliter enim movetur brutum, a bono sibi delectabili, sed non quomodolibet

## ARTICULUS III.

*Quomodo actiones humanæ specificentur a fine: et a quo fine, re moto, an proximo?*

proposito, cum videamus, quod etiam immanissimæ bestię a delectationibus abstinent, verbi gratia, a cibo, et coitu, propter metum, acerbiterque dolorum: sed moventur a delectabili proposito, ut conducente, ad sui conservationem, et esse absolute. Moventur etiam ab utili, id est, a medio conducente ad illam conservationem, et ad illud delectabile consequendum; sicut canis rumpit vincula ad consequendum cibum, et avis colligit paleam ad construendum nidum, non propter ipsam paleam in se. Sed tamen hoc quod est utile, non quærunt, cognoscendo rationem utilitatis, quæ comparativa est ad finem, sicut nec rationem finis comparativam, respectivamque cognoscunt, sed simul cum fine offertur sibi, convenientia medii utilis, seu conducentis per modum absolutæ bonitatis, et convenientiæ, prout est in ipsa re, non sub proportione, et comparatione ad finem, et ita proposito illo objecto, paleæ colligendæ, vel vinculi rumpendi, absolute, et coarctate fertur ad illud, appetitus bruti. Quod si flagellis terreatur, desistit propter malum oblatum, ab illo, quia offertur sibi, determinate conservatio sui, et fuga mali, magisque movet, quam objecti utilis assecutio. Et sic apprehendunt convenientiam, et bonitatem utilis, absolute in se, non comparative: sed materialiter, et entitative, non formaliter respective.

XXXVII. Denique ex dictis constat, an in ipso operante propter finem omnes actiones, propter finem sint, si modo rationali procedunt, etiam ipsa prima volitio finis, de quo egimus articulo præcedenti tractando, quænam sint actiones humanæ, et in physica, quæst. XIII, articulo tertio.

I. In articulo tertio hujus quæstionis affirmat D. Thomas unam principalem conclusionem, scilicet, quod actus humani, in quantum humani, et morales, speciem sortiuntur ex fine, et hoc sive considerentur humani actus, in ratione actionis, prout aliquis active se movet, sive in genere passionis, prout passive movetur aliquis a se ipso. Utrouque modo specificari possunt a fine, quia finis comparatur ad actus humanos, et per modum principii; quatenus in intentione præhabitus, movet ad sui amorem: et assecutionem, et per modum termini, quatenus ad illum in executione habendum, quis movetur, et ibi terminatur ejus motus.

II. Cæterum ad probandam, explicandamque hanc propositionem, et conclusionem supponit D. Thomas unam propositionem, et posta infert, seu colligit alias tres. Præsupponit omnem specificationem, tam in rebus, quam in motibus, sumi ab aliquo actu. Et quia motus distinguitur per actionem, et passionem; actio speciem sortitur ab actu, qui est principium agendi: passio vero ab actu qui est terminus, sicut calefactio actio, est motio a calore; calefactio vero passio, est motus ad calorem. Ex hoc probat suam conclusionem: Actus humani dicuntur tales, in quantum procedunt a voluntate deliberata, quæ utique se ipsam movet, et a se ipsa movetur. Objectum autem talis voluntatis, est finis: ergo principium humanorum actuum, in quantum humani, est finis: et similiter est terminus,